

puus est in fide nostra, ideoque bene firmandus fuit. *Nam si Christus non surrexit*, inquit apostolus, I. Cor. XV. *inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra*, quia frustra expectaremus nos resurrectionem nostram; et in ea retributionem meritorum, qua sublata spe, miserabiliores essemus omnibus hominibus, ut ibidem ait apostolus, velut qui falsa et inani spe dira pateremur et dura ageremus. Jam si in ore duorum vel trium stat omne verbum, cur non credatur resurrectio Christi, tribus comprobata sensibus? Unde Tertullianus, lib. de anima, cap. XVII. ait: *Falsa utique testatio, si oculorum et aurium et manuum sensus natura mentitur*. Atque hoc est, quod

ait S. Lucas, Actor. I. *Præ ait seipsum vivum* (discipulis) *in multis argumentis*. Talia enim fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, stigmata plagarum, quæ ostendit, tangique a Thoma voluit; miracula, ut cum clausis januis ad discipulos introivit, et subito eum vellet disparuit: quæ omnia sat superque demonstrarunt Christi resurrectionem. Nobis ergo, auditores, non jam querendum est, an Christus resurrexerit, sed qua ratione vita nostra instituenda sit, ut cum ipso aliquando resurgere mereamur ad beatam immortalitatem, quam nobis largiatur, qui triumphata morte resurrexit victor gloriosus, *Christus Jesus*. Amen.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

FAVUS PASCHALIS VITA BEATORUM POST RESURRECTIONEM.

I. Quia fulgebunt gloriosi quatuor corporis dotibus. — II. Satiabuntur sine fastidio. — III. Habebunt etiam corporis proportionatas delicias. — IV. Conversationem habebunt jucundissimam. — V. Stabili fruuntur felicitate. — VI. Omnes se mutuo amore pariter complectentur.

THEMA.

Obtulerunt ei favum mellis. Luc. XXIV.

Nihil hoc paschali tempore notius, nihil et usitatus quam paschalis favus, qui nunc omnium mensas ornat haud dubie ob favum mellis, quem in die resurrectionis suæ gustavit Dominus noster, ut in hodierno evangelio audivimus. Quid vero is designet, S. Gregor. Nyssenus, ven. Beda, Haymo gl. ord. disserunt, gloriam videlicet resurrectionis et dulcedinem beatæ illius vitæ, quam expectamus post communem resurrectionem. Christus enim, *qui piscis assus fieri designatus est in passione, favus mellis nobis extitit in resurrectione*, ait Beda in hodierno evangelio. Favus est mel in cera, gloria resurrectionis est abundantia gaudiorum in corpore glorificato. Præsignatus est hic favus et Hebreis in v. t. etiam ostensus in figura, per illum favum mellis, quem reperit in ore leonis a se jugulati Samson, quando reversus est ex Thamnata de sponsa sibi conjuge, e quo imprimis dedit partem suis parentibus, ut refert S. Scriptura, Judic. XIV. deinde tres partes attulit sponsæ suæ

dilectæ, ut addit Joseph, lib. V. antiq. c. X. et S. Ambr. ep. LXX. Leo sevus, qui in Samsonem accepturum sibi sponsam irruit, ab eoque dilaceratus est, mortem diræ crucis indicat, de quo Dominus per Psalmist. Ps. XXI. dixit: *Salva me ex ore leonis et a carnibus unicornium*. h. e. a morte crucis. Mortem enim Dominus moriendo superavit, insuper etiam reversus ab inferis favum mellis, h. e. gloriam et dulcedinem resurrectionis ex ore leonis eruit, meritorum suorum manibus; et inde quidem partem suam dedit patribus v. t. quasi parentibus suis: sponsæ vero suæ Ecclesiæ reliquum copioso munere attulit. Jam vero videor mihi videre vos, auditores, acuere dentes in hunc favum, et sciendi cupidos, quis et qualis sit futurus iste favus; qualis beatorum felicitas post communem resurrectionem, quam expectamus. Hoc indagabimus ex vivendi ratione, quam tenuit post resurrectionem suam Christus: atque inde favum illum nonnihil delibandum vobis apponemus.

I. Christus attulit redivivus secum quatuor dotes corporis glorificati; e quibus claritatem tamen abscondit; quia oculi mortalium ferre eam non potuissent, teste D. Aug. l. XXII. de civit. c. XIX. « Claritas, inquit, in Christi corpore cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset cognosci. » Eam tamen procul ostendit ss. patribus quos una secum suscitavit; et forsitan aliqua etiam ex parte discipulis suis, quando in cælum gloriosus ascendit. Impassibilitatem ostendit, cum quinque vulnerum cicatrices sine

omni dolore retinuit, quæ tamen S. Franc. utpote adhuc mortali, impressæ dolorem continuum causarunt et sanguine stillarunt. Rursum quando vitam omnem famis et sitis expertem per quadraginta dies duxit, qui tamen prius post totidem dierum jejunium esuriit. Ac licet aliquando comedissem legatur resuscitatus, nulla tamen appetitus indigentia, sed ad comprobationem resurrectionis suæ comedit. Denique immortalis corpore ad cælos ascendit. Agilitatem demonstravit, quando in momento jam hic, jam alibi, ubicumque voluit, adfuit, sine omni lassitudine aut labore; et quando in cælum ascendit, prius paulatim propter astantes, deinde in momento, ubi ab oculis eorum subtractus est. Deinde subtilitatem sui corporis comprobavit, quando e lapideo et obserato sepulcro exiit, posteaque januis clausis ad discipulos ingressus est.

Considerate jam quæ suavitas, quæ felicitas sit futura electorum, quando jam induti splendido et glorioso corpore pati nihil poterunt; multo minus mori: quando nullo impediti obstaculo, montium, murorum, munitionum: quominus omnia perumpere, omnia penetrare queant: quando in ictu oculi quaquaversum instar aquilæ evolare, et quocumque placuerit loco esse et constituere se corpore et animo: sine omni fatigatione, sine fame et siti semper jucundari. Quid non moliantur in terris homines ut se tueantur contra adversarios? Edificant civitates et mœnia, arces in summis montibus, propugnacula et munitiones: pro tutela corporis constituunt satellitia, comparant geruntque arma. Quid non ut appetitum edendi et bibendi exsantiant? Quid non excogitant, ut itinera celeriter conficiant? Equos cursores adhibent, et mutant, currus agitant, naves remis et velis impellunt, currunt, sudant. Quid non, ut splendide se vestiant, pecuniarum impendunt? Nullo horum indigebimus in beata illa vita. O dulcis igitur vita! O melleus favus!

II. Non eadem specie et effigie Christus semper apparuit, sed alia et alia prout ei placuit, modo hortulani, uti Magdalenæ: modo peregrini, uti duobus euntibus in Emmaus: modo viri gravis et mercatoris, ut observat S. Chrys. in c. XXI. Jo. Ita beati post resurrectionem vestientur stola immortalitatis et lumine gloriæ, ut nullo unquam fastidio sui ornatus capiuntur, quasi novis semper, et novis gaudiis perfundendi et ornatibus vestiendi: quomodo manna Hebr. in deserto quoscumque saporibus quarumcumque rerum exhibuit. Insolentes aliqui gloriosum sibi reputant, si vestium splendorem quotidie immutent. Nero imperator nul-

lam vestem bis induit, teste Sueton. Heliogabalus imp. non modo non eandem vestem, sed nec calceamenta, nec annulum iterato resumpsit, teste Lampridio, quo videlicet novi apparerent, et gloriam suam ostenderent. At vero hæc in terris innovatio finem habet, reditque ad primordia sua, ut vel nostro sæculo experimur, ubi post tot vestimentorum variationes cernimus redire sensim antiquos Germanorum, prius reprobatos habitus. Verissimum enim illud Ecclesiæ. *Nil sub sole novum*, quando eadem recurrunt subinde, et quod nunc est, fuerit olim. Non ita supra solem: sola beatitudo semper eadem quoad substantiam et immutabilis est, ut simul tamen absque fastidio velut nova et recens appareat et appetitum provocando satiet et satiando provocet. Unde S. Gregor. l. XVIII. mor. c. XVIII. de angelis (par ratio in hoc de hominibus beatis) ait: *Desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satietas sine fastidio ex desiderio semper accenditur*. Multa nova, mira, inusitata et inaudita vidit et audivit regina Saba in aula Salomonis; non tamen ita inescata et delectata est, ut ubi manere vellet semper: sed quasi jam ad nauseam saturata deliciis Salomonicis, reversa est cum servis suis in terram suam, III. Reg. c. X. At vero in cælo tam mira et nova variarum rerum objecta semper sibi invicem succedunt, ut nemo inde migrare velit, quia nemo satiari poterit.

III. Comedit et bibit nec sine gustu, quod voluit: tametsi sine necessitate aut esurie, sine fastidio aut gravedine. Nam cibum sumptum aut annihilavit aut in aerem aliamve materiam convertit: quomodo sol attrahendo aquas convertit in vaporem et aerem: ut S. August. observat, epis. XLIX. *Aliter, inquit, absorbent aquam terra sitiens, solis radius candens; illa indigentia, iste potentia*. Habebunt enim corpora beatorum gloriosa etiam suas proportionatas adeoque singulis sensibus singulas convenientes oblectationes et delicias, tum quia eas labore suo meruerunt; tum ne frustra in cælo sint, tum denique quia et damnati sensuum pœnas habebunt. Quemadmodum igitur nuptias celebrante Domino, sua etiam famuli nuptialia habent gaudia, herilis lætitiæ participes, convivantur, jucundantur, splendide vestiuntur; ita par est, ut dum animæ beatorum cælestibus perfruuntur gaudiis, assidentes sponso suo, socia quoque corpora, quæ fideliter eis ministrarunt, suo modo recreentur, tametsi longe sublimiori, quam hic in terris soleant. Ita docet S. Aug. ep. XLIX. citat. adjiciens: « Futuræ ergo resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos su-

mere non poterit, imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit. » Et lib. XIII. de civit. cap. XXII. « Non potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus (glorificatis) corporibus auferetur, quia spiritu vivificante subsistent. » Erunt vero hæ sensuum delectationes tam variæ ac multæ, ut quemadmodum de ornatu corporum supra diximus, nullum unquam tedium parituræ illis sint; quæ novæ semper et novæ aliis succedent, ut docet S. Anselm. lib. de similitud. cap. LVII. juxta Ps. XV. *Delectationes in dextra tua* (beatitudine scilicet) *usque in finem*, q. d. per omnem æternitatem. Unde S. Bern. serm. XXXIII. in Cant. eo suspirans ait: « Quis non illic vehementer cupiat pasci et propter pacem, et propter adipem, et propter satietatem? Nihil ei formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. »

IV. Conversionem semper habuit jucundam et amore plenam, jam cum antiquis patribus e limbo ereptis; jam cum suis discipulis aliisque fidelibus, summa cum sua et illorum delectatione; quemadmodum experta est Magdalena, duo euntes in Emmaus, discipuli congregati, Thomas una cum illis, alii piscantes, omnes denique in ejus ascensione. Omnes ab eo undique reversi sunt cum gaudio. Magdalena præ gaudio exultans clamat: *Vidi Dominum, et hæc dixit mihi*, duo discipuli ita incaluerunt amore Domini, ut dimittere eum nollent. Decem apostoli gaudio pleni Thomæ dixerunt: *Vidimus Dominum*. Thomas et ipse lætabundus: *Dominus meus, et Deus meus*. Joannes in piscatione: *Dominus est*. Ipse etiam Dominus nihil amplius triste, uti solitus erat ante mortem, afferebat in colloquium, imo oblivioni tradidit quidquid mœstum præcesserat. Hinc duobus illis in itinere disserentibus de passione ejus, respondit: *Quæ?* Quasi nesciens, quæ facta essent nuperrime Jerosolymis. Neque ullam pristinae tragœdiæ, fugæ discipulorum, negationis Petri mentionem fecit: sola quæ ad consolationem pertinebant, deprompsit, semper amœnus et gratosus. Tales erunt beati, semper versaturi cum amantissimis et integerrimis amicis, tot millionibus angelorum et aliorum cœli civium, patriarcharum, prophetarum; apostolorum, martyrum, episcoporum, abbatum, eremitarum, monachorum, virginum aliorumque electorum, summa jucunditate et inexplebili gaudio. Nulla memoria præteritorum lapsuum, periculorum, miseriarum, nisi in quantum acunt lætitiâ de parta securitate et gratiarum actionem Deique laudem. In reliquo dicere poterunt cum Josepho erecto ad principatum: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Gen. XLI. Quam etiam ob causam dixisse de illis vi-

detur David, Psalm. LIII. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Quemadmodum enim ebrietas non tantum replet stomachum, sed fumo etiam caput implet, ut homo obliviscatur omnium curarum et miseriarum suarum, totusque in lætitiâ effundatur, jubilet, cantet: ita gloria beatorum non solum animas, sed corpora etiam occupat, facitque eos oblivisci omnium calamitatum: quæ nullæ in cœlo erunt, adeo ut S. August. serm. de beatitud. cœli dicat quod si unica tantum gutta cœlestis beatitudinis deflueret in damnatorum pœnas, tanta dulcedine repleret gehennam, ut nullum sentirent tormentum. Magna hujus mundi miseria est, quod vivere cogamur inter eos, qui vel falsi amici vel manifesti inimici sunt; quæ vita sæpe morte ipsa acerbior est, ut fassa est Rebecca, quæ præoptabat mori potius, quam vivere cum filiabus Heth gentilibus, si ipsius nurus fierent, Gen. XXVII. Commorandum etiam hic nobis cum multis miseris, sordidis, infirmis, reprobis, insolentibus: quin etiam inter fœda bruta et molesta animalia, mures, sorices, culices, muscas, vermes, serpentes, etc. Unde queritur Job. c. XXX. *Frater fui draconum et socius struthionum*, alibi vermes *sorores*, putredinem appellat *matrem suam*. Nihil horum inter beatos: omnia amœna, omnia jucunda.

V. Christus post resurrectionem suam stetisse solum legitur, jam inter discipulos, jam in litore maris, jam prope sepulcrum. Statio hæc firmitatem et stabilitatem cœlestis beatitudinis indicat, quam attulit sibi et membris suis resuscitatus Dominus, ea præsertim, qua in litore maris constitit, quasi jam extra omnem perturbationem, fluctuationem, mortalitatem, et alia discrimina uti explicant S. Gregorius, hom. XXIV. Haymo et alii in c. Joan. XXI. Talis est itaque vita illa beata, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, status, inquam, immobilis. Eo situ vidit beatos ante thronum Dei Joann. Apoc. VII. *Stantes ante thronum Dei et in conspectu agni*. Similiter Daniel, c. VII. §. X. Quemadmodum et Seraphinos Isaias VI. stantes vidit, non sedentes: quia sessio fit propter lassitudinem, quæ a cœlo exulat. Stant ergo beati et quidem solido in litore extra omnes fluctus, quia norunt suam beatitudinem sibi nunquam auferendam. S. Rembertus Bremensis episcopus cum victoriam contra Northmannos precibus suis velut alter Moyses impetrasset, id effecit, ut deinceps locus ille, in quo preces fuderat, semper vernaret, cespitem virenti lætus, apud Sur. 4. februar. in vita. Hujusmodi terra est, quam acquisivit nobis Christus sua passione, semper vernans, virens,

in qua nulla hiemis et æstatis vicissitudo, sed continuum ver quemadmodum dixit sancta virgo et martyr Dorothea tyranno: « Sponsus meus me invitat, imus enim per hæc pœnas breves et exiles ad paradisum deliciarum, ubi sunt poma miræ pulehritudinis, rosæ, lilia et flores innumeri, qui nunquam marcescunt, » idque comprobavit miraculo post mortem suam derisori suo Theophilo, scribæ, judiciali, per angelum afferentem flores et poma speciosissima, recentissima media fere hieme, die 6. febr. ut in ejus vita. Nullus in mundo status vere stabilis et permanens, maris fluctus et fluctuantes naves jactantur in hoc mundo. Qui evenitur ad dignitatem, paulo post descendere jubetur, qui assequitur opes et prosperitatem, morti omnia credere cogitur. Quoties cernimus nuptias, quas vehementissimus amborum conjugum amor contraxit, repente in acerbissima odia et divortia, quin et truculentas cædes desinere? Unde S. Aug. in ser. de verbis apost. « Amas uxorem nondum ductam, sed adhuc ducendam, et forte ducenda amatur, et ducta odio habetur. » Idem videre est in aliis hujus mundi rebus: *Cum adhuc ordiretur, succidit me*, ait rex Ezechias, Isaiæ c. XXXVIII. Plurimi cum Jonatha vix delibant parum mellis, et mors eis denuntiatur, I. Reg. IV.

VI. Stetit in medio discipulorum, quoties congregatis apparuit; ut nossent ipsum pari amore omnes complecti, suaque eis bona ex æque paratum communicare et omnibus opem ferre. Sic se habebunt etiam beati omnes erga se invicem, summi, medii, infimi: intimo enim et pari amore ferentur erga omnes; quasi omnes unius patris filii: nullo habito respectu, quales olim in hoc mundo fuerint; nobiles erga ignobilem, doctus erga indoctum, dives erga pauperem, summus erga infimum. Docturus hanc charitatem et concordiam discipulos suos de præeinentia inter se contententes, Dominus statuit parvulum in medio eorum, et tales fieri jussit, Matth. c. XVIII. *Tantum est enim regnum cœlorum*, cap. sequent. subdit; quia videlicet, beati in cœlo sibi invicem pari amore addicti sunt, quo modo omnia puncta in peripheria æquali spatio distant a centro. Quod etiam insinuatur Apocal. XXI. ubi dicitur Deus habitare cum beatis in cœlo, velut in tabernaculo: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipse populus ejus erunt, et ipse cum eis erit eorum Deus*. Qui intra unum tabernaculum degunt, familiari et communi cum omnibus conversatione ac lege agunt, nulla parietum aut limitum separatione divisi, ita ut facilis unius ad alterum sit aditus. Ita

Deus in medio beatorum, et ipsi inter se et cum Deo habitavit. Unde S. August. in psalm. « Possident Jerusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum, omnes habent eam, et singuli habent totam, non angustat frater fratrem. » In humanis quidem minuitur hæreditas simulque mutua charitas, et nascitur invidentia ex hæredum accessione; eoque magis, quo plures accesserint: non ita in cœli hæreditate, quæ cum inexhausta et indivisa sit, a singulis tota aditur et possidetur: et quo plures fuerint cohæredes, eo plus accrescit eis honorum.

Atque hic est fayus ille, quem diximus, paschalis, quemque in favo illo mellis hodie delibavit Christus, velut mortis triumphator et favi hujus inventor et auctor: nobis etiam communem fecit cum suis discipulis, reliquias ejus dedit. Superest nunc ut acuamus dentes et obsonemus famem ad hoc tam desideratum epulum. Quis enim vel per umbram hanc conspecta illa beatorum vita non toto pectore anhelat hanc miseram et momentaneam illico deserere et ad illam commigrare? Cervi maria transnatant, ut meliora pascuâ inveniant, et Christiani non desiderant exilium hoc relinquere, ut ad tam felicem patriam pertingant? *Interroga jumenta*, ait Job. c. XII. (Hebr. *interroga elephantem*) *et docebunt te*. Refert sane memorabile quid de elephante, cui nomen Hannonis inditum fuit, Pierius Valer. l. II. hierogl. ex relatione Michaelis Sylvii regis Emmanuelis Lusit. oratoris ad pp. cum destinavit rex pro dono papæ mittere, sed bellua constanter aversabatur navim. Indicatam regi tandem elephantis magistrum, puellæ cujusdam amoris implicitum, nolle in tam remotam regionem ire, ideoque Hannoni persuasisse, ne permitteret se abduci in terram sterilem, horridam, barbaram, ubi ludibrio esset, neque victus neque ornatus suppeditandus, ad hæc longum iter vastum mare, satis proinde esse ibi mori, imo et occidi, etc. Intellecta ea fraude rex minatur magistro supplicium, nisi intra triduum Hannoni perfectionem persuadeat. Itaque belluam aliis verbis aggreditur, donec se malevolorum fraude subornatum ac deceptum, et rem longe secus habere intelligeret, siquidem ad urbem totius orbis dominam, amœno loco sitam iturus esset, ibi summum orbis degere principem a quo in deliciis habendus, velut lusciniæ pulvis serico ornandus, vino malvatico esset potandus; proinde secum primo quoque tempore navim inscenderet, navigationem summa celeritate peragendam. Itaque Hannon persuasus, ubi signa data sunt, navim ultro inscendit, nec im-

perium toto itinere detrectavit. Potuit hæc bestia non difficile persuaderi, audita Romanæ urbis pulchritudine, summi pontificis majestate et dignitate, suis etiam honoribus et deliciis quibus Romæ excipienda et perfruitura esset: et non possit Christianum excitare hic prægustus beatissimæ illius vitæ nobis paratæ, ut hujus mundi haram et inanes siliquas oblivisci velit, et ad summum cœli terræque monarcham, ejusque regnum omni divitiarum ac deliciarum copia abundans totis viribus contendere? Sed nimirum sunt nonnulli perversi amatores hujus mundi qui cum se terrenis bonis stulte implicuerint, caecoque amore affixerint, ea quæ de beata illa vita dicuntur, vel non credunt vel pro nihilo habent (juxta id Proverb. XXVII. *Anima saturata calcabit favum*) idque etiam aliis nequitur persuadent. Sed videte vos auditores et judicate, annon potius audienda sit Dei ipsius sapientia et veritas Christus Dominus noster, qui in sua illa post resurrectionem vivendi ratione, eam prælusit atque ostendit, quam cum ipso in cœlo habituri sunt beati? Apagite igitur noctuæ et tenebriones, veræ lucis inimici; abite pecora et porci sordibus innutriti et favo hoc indigni: veni tu fidelis: *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo*, Prov. XXIV.

CONCIO II.

TRIA SYMBOLA BONI CHRISTIANI: PAX, SINCERITAS, MANSUETUDO.

I. Pacis amor et studium. — II. Sinceritas. — III. Mansuetudo.

THEMA.

Pax vobis, ego sum; nolite timere. Luc. XXIV.

Quantum attulerit Noemæ familiæ gaudium columba illa, quæ diluvii tempore emissa ex arca rediit, et ramum olivæ, mordicus comprehensum, in signum imminutæ aquæ secum tulit, cogitare non difficile potestis auditores. Nihilominus gaudii, quinimo longe plus attulit Christus Dominus a mortuis resurgens desolatæ suæ familiæ, in domo una inter Judæos maris instar frementes et sævientes, quasi in navicula conclusæ, quando eis apparens, hanc salutationem attulit: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Hoc enim verbo audito gavisissimi sunt discipuli, ait S. Jo. c. XX. et adeo quidem, ut præ gaudio vix capere se ipsos et credere tam optatum nuntium possent. Nec mirum, quia verba hæc quasi olivæ ramus

erant ore Christi allatus, pacem restitutam et persecutionis inundationem depressam, amantissimum quoque magistrum in summa gloria exaltatum, ac sibi restitutum, jamque in pace, sinceritate, mansuetudine adventantem nuntians. Cæterum vox illa tria in se continet præclara documenta Christiani hominis decentissima ornamenta, quæ hic exponemus.

I. Primum est, pacis amor et studium, indicatum illo verbo: *Pax vobis.* Hanc pacem attulit nobis ingrediens in hunc mundum sub Cæsare Augusto natus: quo tempore pax fuit, in universo orbe, quod non legitur factum usque ad id tempus. Idcirco angeli ad pastores: *Et in terra pax hominibus.* Eandem reliquit nobis velut in testamento pergens ad mortem, post ultimam cœnam: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Denique resurgens a morte eandem iterum commendat, ut in hodierno evangelio et quidem sæpius. Quis igitur non videt, quanto jure Christiani obligentur ad sectandam pacem, quam commendavit eis Christus nascentis, moriens et resurgens? Ad eliminandam quoque omnem inimicitiam et discordiam: solent enim filii diligenter observare parentum monita, præsertim ultima, sæpius et serio inculcata. Et quidem primi Christiani mandatum hoc parentis nostri diligenter observabant: osculum pacis et foris et in templo sibi invicem dabant dicendo: *Pax tecum:* (unde II. Cor. XIII. ait S. Paulus: *Salutate invicem in osculo sancto*) fratres et sorores se mutuo appellabant; lites et controversias pacifice primo inter se componebant, nec ad tribunalia se trahebant; unde Paulus, I. Cor. VI. contra venientes arguit: *Frater cum fratre contendit; et hoc apud infideles;* deinde presbyteris et episcopis componendas relinquebant; donec crescente fidelium numero, decrescente charitate, sæculares judices ad hoc constituti sunt: sane Christi discipuli tametsi ante mortem Christi quandoque inter se contenderint, postea tamen non contenderunt amplius; sed et inculcabant aliis pacem in domorum ingressu: *Pax huic domui,* in epistolis et salutationibus; uti solet S. Paulus, in omnibus epistolis suis, præmittens: *Gratia vobis et pax a Deo Patre, etc.* excepta ea, quæ est ad Hebræos. Nec apparet, quid melius et salubrius alicui civitati seu communitati optari possit, nisi pax; sine qua nulla diu stare civitas potest, sicut nec ædificium sine vinculis et compagibus. Viderunt hoc et gentiles, e quibus unus dicebat Scipio, inquit S. August. lib. I. de civit. Dei, c. XII. « Ut in fidibus, tibiis, atque cantu in ipso ac voce concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum

aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillarum vocum moderamine, concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis, mediis et infimis interjectis ordinibus ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillarum concinere, et quæ harmonia a musicis æcitur in cantu, eam esse in civitate concordiam. » Certe si hic in templo audiatur vel una alterave fistula dissona in organo, aut mox in concentu, omnium aures affliguntur, et pruriunt quamprimum ad exeundum pedes: pari modo in civitate, ubi pax exulat, et discordia regnat, molesstissimum est hæere. Hanc ob causam *mos veterum fuit*, inquit S. Gregor. M. lib. XIX. moral. c. XIII. *ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent, quatenus tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret.* Felix illa civitas, quæ tales habet seniores et cives. Certe Dominus Matth. V. *beatos* prædicat pacificos, et *filios Dei* nominat; qui nimirum pacem facere et conciliare dissidentes student. Et cur idem Dominus, putatis, tunicam suam inconsutilem scindi a militibus noluit, nec crura sibi frangi permisit; nisi ut indicaret nobis, quod unitatem corporis et vestis suæ Ecclesiæ salvam et integram esse cupiat? Eam rationem reddit S. August. super Ps. XXXIII. « Venit persecutor, inquit, et non fregit crura Christi: venit Donatus et dirupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus in cruce inter manus persecutorum est, et inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. » In hunc finem instituuntur fraternitates admodum laudabiles, quarum scopus est, inimicos conciliare. Quæ utinam passim excitarentur! Fœda et deformis est ea civitas, quæ instar laceratæ vestis in factiones et discordias divulsa et distracta est.

II. Sinceritas, indicata voce Christi: *Ego sum*, quasi dicat: Nolite diffidere: ego sum magister vester, ille idem, qui ante triduum vobiscum fui, cœnam vobis dedi et pedes abluvi, etc. non sum spiritus, non phantasma, non fictitius homo aut spectrum. Cumque adhuc hæsitarent, addit: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum.* Alterum est hoc boni Christiani symbolum et ornamentum, ut se alium non fingat, nec se abneget esse, quod est; sed ubicumque versetur audeat dicere: *Ego sum.* Hanc virtutem commendavit Christus suis, quando dixit: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut colubæ*, Matt. X. Columbæ enim et felle et dolo carent. Eandem sinceritatem, ejusque sororem, veritatem, commendat nobis apostolus, I. Cor. V. ex paschali agno nostro Christo: *Pascha nos-*

trum immolatus est Christus, itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiæ et nequitia; sed in azymis sinceritatis et veritatis. Notum est Judæos comedissee agnum paschalem cum panibus azymis, non fermentatis, ipsos vero azymos panes comedissee in paschate per septem dies. Illis figuræ datæ sunt; nobis Christianis veritas servata est per figuras illorum significata. Panes azymi sunt homines puri, veraces, sinceri et simplices, nullo dolo mixti; fermentati sunt dolosi, fraudulentis, mendaces, duplices. Quia igitur pascha nostrum Christus est, verus nimirum agnus paschalis, pro nobis immolatus, quo jam vescimur et fruimur; idcirco oportet nos Christianos agere festum spirituale azymorum per hebdomaden, h. e. per decursum vitæ nostræ; ita ut simus azymi seu pueri, sinceri ac veraces, carentes omni fermento nequitia seu versutia (ut vertit Datablus); nequam enim est, qui cum dolo et fraude male agit. Tales nisi simus, pascha verum non manducamus, et frustra pro nobis pascha immolatum est. Agnus paschalis debebat esse sine macula, h. e. sine scabie, deformitate, defectu, Exod. XII. Quales etiam decet esse Christianos, puros et sine macula, sine fraude et mendacio: uti fuerunt certe primi Christiani, ut patet ex S. Petro, qui eorum mentem appellat sinceram, II. Pet. III. *Vestram excito in commonitione sinceram mentem*, S. Chrysostomus, hom. VII. in Acta apostolorum, ait eos propter morum candorem fuisse acceptos apud gentiles. S. Augustinus martyr antiquissimus scribit in apologia II. Christianos maluisse mori, quam vel semel mentiri. Vigeat ea sinceritas adhuc circa annum Domini 1100. tempore S. Anselmi episcopi Cantuar. qui putabat Christianum mentiri et fallere non posse; unde famulis suis omnia sua credebat, ut in ejus vita. Durabat et ulterius. Petrus enim abbas Claravallensis, monoculus, cum ob quædam bona, litem ei movisset nobilis quidam, ipsum cum fratre simplice convenit, rem compositurus, sicque allocutus est: « Homo Christianus es, si dixeris in verbo veritatis, quod bona ista pro quibus contentio est, tua esse debeant, bene sufficet mihi testimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quam de verbo veritatis respondit in veritate dico, quod mea sint hæc bona. Ad quod abbas: Sint ergo tua tibi: ego de cætero non repetam illa. Sicque reversus est ad Claramvallem. Miles autem ad uxorem suam quasi victor rediens, cum ei per ordinem recitasset, quid abbas dixisset, vel quid ipse egisset, illa territa verba tam pura, tamque simplicia respondit: Dolose